Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2549
Quelle:
Copyright:

Domini nostri Jhesu Christi. Hoc quoque Opusculum, quod incipit: *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis ymbrem lacrimarum* &c. in antiquioribus *Bernardi* editionibus, v. g. *Gillotiana Paris.* 1586. f. *col.* 202. comparet. In recentioribus, ut Autori subpositum, omissum est.

III. *fol.* 47. Anonymi *Quinquagesimale Sermonum.* Porrigitur a Dominica *Quinquagesimae* usque ad feriam III. *Majoris* Hebdomadis. Sermo I. in illud: *Deus hebreorum uocat nos, ut eamus uiam trium dierum* &c. *Exod.* V. incipit: *Quia misertus dominus et deus omnipotens electo et dilecto populo suo* &c. Plures ex his Sermonibus Compendia potius sunt et adumbrationes Sermonum, de quarum Autore laborare operae pretium non videtur.

IV. *fol.* 117. Anonymi *Libellus mysticus de aeterni Verbi in anima devota Conceptione.* Initium: *Gaude et letare filia Syon quia ecce ego uenio et habitabo in medio tui.* Zach. II. *Verba proposita possunt esse sponsi* &c. Tria, quae sibi tractanda sumit Autor, sunt: *Primum, qualiter anima deuota ad verbi eterni concepcionem per gratiam disponatur. Secundum, qualiter ipsa concepcio verbi eterni in anima perficiatur. Tercium, quos fructus spirituales anima deuota ex verbi eterni concepcione et presencia consequatur.* Ultima sunt: *Quam desponsationem nobis prestare dignetur, qui est benedictus in secula seculorum amen.*

V. *fol.* 134. Tractatus scholasticus de *Indulgentiis* in illud: *Quodcunque solueritis super terram, erit solutum et in celis. Matth.* 16. Incipit: *Hec uerba dixit dominus noster ihesus christus beato petro uidelicet ibidem et secundum sanctum thomam et alios doctores* &c. Finit: *et sit omnino immunis ab omni debito penarum peccatis suis prius dimissis.* Est M. *Johannis gews* seu *geyss*, ut habes *Cod.* DCLXXVII.

VI. *fol.* 144. p. 2. Sermo de extremo universali *Iudicio* in illud: *Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem josaphat* &c. *Ioel.* III. Initium: *In quibus Iobel propheta dicit de disceptatione* &c. Citat autor in exordio alium Sermonem, quem *de judicio particulari animarum* habuit; sed is a *Cod.* nostro abest. Fontes illius cum in praecedenti, tum in hoc sermone post Patres sunt: *Thomas Aq. Scotus, Gorranus, Durandus, Gilb. Porretanus* &c.

VII. *fol.* 165. Opusculum asceticum *de Contemtu mundi*, quod incipit: *Nolite diligere mundum* &c. *Scribitur prima Job. 2. O vita mundi non vita sed mors* &c. Expenduntur VII. Rationes, quae a mundi amore retrahere debeant. De aevo Autoris ex loco sequenti statui potest: *Augustinus, Ieronimus, Gregorius, Benedictus, Basilius, Bernhardus, Dominicus, Franciscus, Albertbus magnus, Thomas aquiniensis, Vincentius et alii infiniti, qui fuerunt lumina ecclesie, culmen virtutis in religione meruerunt.*

VIII.